

nar in *Decretal.*, lib. III, tit. 32, n. 8; Sanchez, *De matrimonio*, lib. II, decis. 24, n. 6 et sequent.; ubi tamen non diffidetur, satis probabilem esse sententiam affirmativam; Pontius eod. tractat., lib. IX, cap. 9, n. 2.

(33. Quod si constaret authenticas esse hinc illas sacre congregat. Concilii interpretis resolutiones, quas pro negativa opinione ex Farinacio affert Pontius, finis jam esset impositus controversie huic doctorum.

(34. Consummatum autem matrimonium hac in materia habetur per conjugalem copulam subsequentem, quod est extra dubium.

(35. At dubitari potest, an copula antecedens impediatur alterum conjugum ingredi. Negat Zoes., in *Decretal.*, lib. III, tit. 32, n. 4: « quia (sunt ipsius verba) requiritur matrimonialis, quæ sequatur ipsum matrimonium contractum; præcedens enim est tantum fornicatio. Nihil facit, quod matrimonium sequens retrahatur ad copulam præcedentem: per cap. *Tanta, Infra, Qui fil. sint legit.* nam hoc tantum in favorem prolis, qui non est extendendus in favorem eorum qui deliquerunt. »

(36. De professione facta, consummato matrimonio ab uno conjugum, altero invito, vel inscio, disputatur, utrum sit ea irrita, an irritari debeat? Irritam esse tenent Zoes. in *Decretal.*, lib. III, tit. 32, n. 5, Sanchez, *De matrim.*, lib. VII, disp. 33, n. 1 et 10, et quidem ex text. in c. 3, et in cap. 2, *De convers. conjug.*

(37. Num autem ingressus, non revocatus ab altero, possit propria auctoritate egredi, et ad dimissum redire? Affirmativam sententiam tuetur Zoes., in *Decretal.*, lib. III, tit. 32, n. 6.

(38. Quid si conjux alter moriatur, an confirmetur professio? Affirmant nonnulli ex text. in c. 10, *De convers. conjugat.* (39. At Sanchez, *De matrim.*, lib. VII, disp. 34, n. 11 et seq., ait, non aliter amplecti posse affirmativam hanc opinionem, quam si ab initio consenserit expresse, vel tacite alter conjux, nam alias professio ab initio irrita non potest convalescere, non secuta ratihabitione post mortem conjugis.

(40. Gravior questio est, si uterque conjux ingrediatur sine mutuo consensu? Validam utriusque professionem pronuntiant Boich., in cap. 8, n. 13, *De convers. conjugat.*; Sanchez, lib. VII, disput. 34, n. 24, dummodo uterque fuerit conscius alterius. (41. Cæterum si inscius, non valebit professio, nec tenebitur professus manere in religione, ut, præter allegatos, tradit Zoes., lib. IV, tit. 32, ex. n. 8.

(42. An, altero conjugum ingresso sine consensu alterius, possit et alter ingredi, et profiteri valide sine alterius consensu? Negant Zoes., lib. III, tit. 32, ex. num. 10; Sanchez, *De matrim.*, lib. VII, disput. 24, n. 23.

(43. Cæterum dicta de nullitate professionis conjugis, qui non reportavit consensum ab altero conjugum, intellige quoad votum solemne, quod eatenus non habet effectum.

(44. At professio hæc operabitur obligationem quoad votum simplex castitatis, quod ponit impedimentum, quod dicunt impediens matrimonii ineundi post mortem alterius; c. 3 et c. 12, *De convers. conjugat.*

(45. Ita sane statuit Ecclesia præsumendo, profitentem se saltem obligare velle ad id, quod potest citra detrimentum alterius, scilicet ad castitatem independentem a professione, nisi alia fuerit ipsius profitentis mens, scilicet non continendi, nisi in statu religioso, « quæ, » ut ait Zoes., in *Decretal.*, lib. III, tit. 32, n. 11, « facit votum illud ad nihil utile esse. »

(46. De casibus, quibus post matrimonium consummatum liceat ingredi religionem, vide late disserentem Schmalzgrueb., *Jur. Eccles. univers.*, lib. III, par. IV, tit. 32, § 2, per tot.

(47. *Cognatio* est triplex, naturalis, spiritualis, et legalis. Cognatio naturalis, seu carnalis, quæ consanguinitas dicitur, « est vinculum personarum ab eodem stipite, carnali propagatione descendendum, seu quarum una descendit ab altera »: quæ ultima verba adduntur, ne excludatur consanguinitas genitorum cum genitis. (48. Stipes « est illa persona, a qua aliæ personæ de quarum cognatione tractatur, carnali propagatione descendunt. (49. *Linea consanguinitatis* est ordinata series talium personarum ab eodem stipite descendendum, gradus continens, et numeros distinguens. »

(50. Hæc linea est duplex, linea recta, et linea transversalis, seu collateralis. (51. Linea recta « est earum personarum, quarum una procedit ab altera; » quæ, si fiat descendendo, v. gr. a patre ad filium, ac nepotes suos, dicitur *linea recta descendendum*: si autem fiat ascendendo, ut a filio ad patrem, a nepote ad avum, proavum, abavum, atavum, tritavum, et sic deinceps usque ad Adam, dicitur *linea recta ascendendum*. (52. « *Linea transversalis, seu collateralis* est earum personarum, quarum una non procedit ab altera, licet omnes procedant ab eodem stipite: » ut fratres, consobrini, et hujusmodi *Linea transversalis, seu collateralis* est duplex, æqualis, et inæqualis. Linea transversalis æqualis « est habitudo inter personas ab eodem communi stipite æqualiter distantes » ut inter fratres, et sorores, patruos, et consobrinas. Linea transversalis inæqualis « est habitudo inter personas inæqualiter a communi stipite distantes, » ut fratres, et filii sororis. Gradus consanguinitatis « est ipsa distantia unius personæ ab altera in eadem linea consanguinitatis in ordine ad eundem stipitem. » Et dicitur gradus ad similitudinem graduum scalarum, vel locorum proclivium, quia ita gradimur de proximo in proximum.

(53. Ut facilius cognoscatur quot gradibus distent inter se consanguinei, tres regulæ communiter assignari solent, prima, pro linea recta: secunda, pro linea transversali æquali: et tertia, pro linea transversali inæquali. (54. Regula pro linea recta est hæc: « Ascendentium, et descendendum tot

sunt gradus, quot sunt personæ de quibus quæritur, computatis intermediis, dempto stipite. » Hinc, si vis scire quantum distet abavus, ab Antonio stipite, computato utroque, ac intermediis, inveniuntur quinque personæ; deme unam, nempe Antonio stipitem, quatuor remanent gradus, ut clarissime demonstrat parvum sequens

SCHEMA LINEÆ RECTÆ.

4. Titius	Abavus.
3. Caius	Proavus.
2. Petrucius	Avus.
1. Franciscus	Pater.
	Antonius
1. Franciscus	Stipes.
2. Petrucius	Filius.
3. Caius	Nepos.
4. Titius	Pronepos.
	Abnepos.

Ubi, ut vides, Franciscus est in primo gradu conjunctus cum Antonio, quia, dempto ipso stipite, qui est Antonius, una sola remanet persona, nempe Franciscus. Petrucius autem est in secundo gradu conjunctus cum Antonio, quia, Antonio stipite dempto, remanent duæ personæ, scilicet Petrucius et Franciscus. Caius vero est in tertio gradu conjunctus cum Antonio, quia ipso Antonio stipite dempto, remanent tres personæ, nempe Franciscus, Petrucius, et Caius. Titius denique est conjunctus cum Antonio in quarto gradu, quia, ipso Antonio stipite dempto, remanent quatuor personæ, id est Franciscus, Petrucius, Caius, et Titius.

(55. Regula pro linea transversali æquali est hæc. « Quot gradibus quævis duarum personarum, de quibus quæritur, distat a proximo communi stipite, a quo ambæ descendunt, tot gradibus distat inter se: » et ad facilius hanc regulam percipiendam ponitur parvum sequens

SCHEMA LINEÆ TRANSVERSALIS.

Antonius stipes.	
Francis. Frater et soror	1 gradus. Maria
Petruc. Consobrini primi	2 gradus. Lucia
Caius Consobrini secundi	3 gradus. Petronilla
Titius Consobrini tertii	4 gradus. Agnes
Lucas in nullo gradu	Clara.

Ubi, ut vides, Franciscus est conjunctus in primo gradu cum Maria, quia uno gradu distat ab Antonio stipite, seu Patre. Petrucius est conjunctus in secundo gradu cum Lucia, quia duobus gradibus distat ab Antonio stipite. Caius est conjunctus in tertio gradu cum Petronilla, quia tribus gradibus distat ab Antonio stipite. Titius est conjunctus in quarto gradu cum Agnete, quia quatuor gradibus distat ab Antonio stipite. Lucas denique in nullo gradu est conjunctus cum Clara, quia, licet antiquo jure consanguinitas in linea transversali extenderetur usque ad septimum gradum inclusive: c. Nullum 7, c. De consanguinitate 17, caus. 33, q. 3, ibi: « De consanguinitate sua uxorem nullus ducat usque post generationem septimam »: cum similibus, tamen moderno jure in dicta linea transversali non extenditur, nisi ad quartum gradum inclusive, ut

expresse statuit concilium generale Lateranense cap. 30. relatum in cap. Non debet 8, De consanguinitate et affinitate, ibi: « Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum consanguinitatis, et affinitatis gradum cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. »

(56. Regula pro linea transversali inæquali est hæc: « Quot gradibus remotior ex personis, de quibus quæritur, distat a communi stipite, a quo ambæ proxime descendunt, tot gradibus distat inter se: » unde, ut vides, in allato schemate lineæ transversalis, Franciscus in secundo gradu distat a Lucia, quia Lucia, quæ est persona remotior ab Antonio stipite, duobus gradibus distat ab ipso Antonio stipite, quamvis Franciscus ab ipso Antonio distet unico tantum gradu. Sic descendendo, idem Franciscus in tertio gradu distat a Petronilla, quia Petronilla, quæ est persona remotior ab Antonio stipite, tribus gradibus distat ab ipso Antonio stipite. Item idem Franciscus in quarto gradu distat ab Agnete, quia Agnes, quæ est persona remotior ab Antonio stipite, quatuor gradibus distat ab ipso Antonio stipite.

(57. Notandum tamen hic est, quod licet in linea transversali inæquali ita numeretur in ordine ad matrimonii impedimentum cognoscendum, in ordine tamen ad obtinendam in gradibus consanguinitatis dispensationem, debet in memorialibus explicari, et manifestari, nedum gradus remotior, sed etiam gradus proximior, seu propinquior stipiti, ut declaravit S. Pius V constit. incip. Sanctissimus; et Urban. VIII et Innoc. X, ambo in brevi incipient. Alias pro parte. Hinc in eodem allato schemate lineæ transversalis, Franciscus dicitur primo gradu in secundo conjunctus cum Lucia: primo gradu in tertio cum Petronilla: primo gradu in quarto cum Agnete: denique primo in quinto cum Clara, et sic in nullo gradu, quia ultra quartum gradum, nulla datur amplius cognatio, ex cit. c. Non debet 8, De consanguinitate et affinitate, et per hoc, cum gradus remotior est ultra quartum, nec gradus proximior est exprimentus, nec dispensatio est necessaria, quia nulla amplius datur cognatio. Pariformiter Petrucius est secundo gradu in tertio conjunctus cum Petronilla: secundo in quarto cum Agnete: secundo in quinto cum Clara; et sic in nullo, cum, ex dictis, ultra quartum gradum nulla detur amplius cognatio. Similiter Caius est tertio in quarto conjunctus cum Agnete: tertio in quinto cum Clara, et sic in nullo, propter rationem supradictam. Item Titius est quarto gradu in quinto conjunctus cum Clara, et sic in nullo, propter semper eandem rationem. Lucas denique in nullo gradu est conjunctus cum filia Clara, cum hodie, ex dictis, ultra quartum jam non detur amplius ulterior gradus. Quæ autem exemplificata, et dicta sunt de viris in ordine ad feminas, intelligenda omnimode sunt de feminis in ordine ad viros. Unde Maria est conjuncta prima

gradu in secundo cum *Petrucio*: primo in tertio cum *Caio*; primo in quarto cum *Titio*; denique primo gradu in quinto cum *Luca*, et sic in nullo, cum ultra quartum gradum nulla amplius detur cognatio. Similiter *Lucia* est secundo gradu in tertio conjuncta cum *Caio*: secundo in quarto cum *Titio*; secundo in quinto cum *Luca*, et sic in nullo, et pariformiter est discurrendum de cæteris.

(58. Notandum est insuper, quod traditæ Regulæ pro computatione graduum in linea transversali, tam æquali, quam inæquali, valent solum in jure canonico, non autem in jure civili. Quamvis enim in linea recta ascendentium, et descendentium eodem modo computentur gradus consanguinitatis secundum jus civile et secundum jus canonicum, ita ut pro utroque jure valeat Regula tradita sub n. 34, ut clare habetur ex c. *Ad sedem* 2, caus. 35, qu. 5, et § 1 ac seqq. *Institut. de grad. cognat.* In linea tamen transversali, seu collateralis, tam æquali, quam inæquali, aliter computantur gradus secundum jus civile, in ordine ad capiendam ab intestato hereditatem, et aliter secundum jus canonicum, in ordine ad contrahenda matrimonia. *Communis*, textu claro in cit. cap. *Ad sedem* 2, caus. 35, qu. 5. Secundum enim jus canonicum observantur, pro computatione graduum, regulæ traditæ supra sub num. 35 et 36. Secundum autem jus civile, pro tali computatione, tam in linea æquali, quam inæquali, observatur alia, et quidem unica sequens regula: « Tot sunt gradus, quot sunt ex utraque parte, vel linea, personæ, una dempta, communi nempe stipite; » et consequenter: « Tot gradibus duæ personæ in linea transversali distant inter se, quot ex utraque parte numerantur personæ usque ad communem stipitem, in quo ambæ conveniunt, una dempta, ipso nempe stipite communi. » Unde, ut vides, secundum jus civile, in computatione duplicantur gradus, ita ut inter duos fratres sint duo gradus; inter duos patruales quatuor gradus. Duo enim fratres distant duobus gradibus inter se, quia sunt tres personæ, duo fratres nempe, et pater, in quo, tanquam in communi stipite conveniunt, et consequenter, una persona dempta, scilicet stipite, sunt duo gradus, quia remanent duæ personæ; secundum enim jus civile, in linea transversali non datur gradus unicus, seu primus. Sic duo patruales distant quatuor gradibus inter se, quia ex utraque parte, seu linea, usque ad communem stipitem, sunt quinque personæ, ipsi nempe duo patruales, duo ipsorum patres et avus: una autem persona, avo nempe tanquam stipite, dempta, sunt quatuor gradus, quia remanent quatuor personæ, et sic de aliis: arg. tot. tit. *Institut. de gradib. cognat.*, et cit. cap. *Ad sedem* 2, caus. 35, qu. 5, ubi habentur præcisa hæc verba: « Fratres itaque, qui, secundum leges sæculares, dicuntur in secundo gradu, juxta canones, numerantur in primo. Filii fratrum, qui illic numerantur in quarto, hic computantur in secundo: » et sic deinceps. (59. Et ratio disparitatis est,

quia jus canonicum computat gradus ob matrimonium, pro quo requiruntur duæ personæ ad constituendum gradum; jus vero civile ob successionem, in qua sufficit una persona proxima in gradu, cit. cap. *Ad sedem* 2, caus. 35, qu. 5.

(60. Advertendum tamen hic est, quod ordo computationis graduum statutus a jure civili pro successione hereditaria ab intestato capienda, servandus est etiam in foro ecclesiastico, et canonico, cum quoad hoc jus civile sit approbatum, et canonizatum a jure canonico, arg. cit. cap. *Ad sedem* 2, caus. 35, qu. 5. Et contra ordo computationis graduum statutus a jure canonico pro contrahendis matrimoniis, servandus est etiam in foro sæculari, seu civili, prout fatentur ipsimet civiles juristæ, arg. cit. c. *Ad sedem* 2, caus. 35, quæst. 5.

(61. Cognatio naturalis, vel carnalis, quæ dicitur consanguinitas, id est quasi sanguinis unitas, non dirimit matrimonium jure ecclesiastico, nisi infra quartum gradum, tam in linea recta, quam in transversali, sive æquali, sive inæquali, ut colligitur ex c. *Non debet* 8, De consanguinitate et affinitate, ubi indistincte restringitur ad quartum gradum impedimentum consanguinitatis, quod juxta jus antiquum in c. *Nullum* 7, in c. *De consanguinitate* 17, caus. 35, qu. 3, et aliis similibus extendebatur usque ad septimum gradum inclusive. Nec quidem diversum ex post statutum reperitur in sacris canonibus, neque pro linea recta, pro qua stat præcipua lis inter doctores. Sic tenet Sanchez lib. vii, disp. 52, num. 22; Fagnan. in c. *Vir qui* 9, De consanguinitate, n. 31, ubi dicit certum esse, matrimonium inter ascendentes, et descendentes non irritari in infinitum jure ecclesiastico, Henno tom. II. *Disp. ult. de matrimonio*, quæst. 3, conclus. 1; Sporer, tom. III, p. 4, cap. 1, sect. 4, n. 67; Felix Potestas, t. I, p. 4, n. 4042; Leander, Tamburinus, Pontius, et alii plures contra Abbatem, Silvest, Engel. et Reiffenstuel, lib. iv *Decret.*, tit. 14, n. 25, et alios volentes impedimentum consanguinitatis in linea recta dirimere matrimonium jure ecclesiastico in infinitum.

(62. Impedimentum consanguinitatis dirimit matrimonium quoad primum gradum in linea recta, non solum jure humano, sed etiam divino, et naturali. *Communis*. Et ratio est, quia ipse instinctus naturalis matrimonium inter parentes, et liberos abhorret propter pudorem. Unde merito in l. *Adoptivus* 14, § 2, ff. *De ritu nuptiar.*, sic dicitur: « In contrahendis matrimoniis naturale jus, et pudor inspiciendus est; contra pudorem est autem filiam in uxorem suam ducere. »

(63. Imo probabilissimum est, dictum impedimentum consanguinitatis in linea recta dirimere matrimonia jure naturæ, non solum quoad primum gradum, sed etiam quoad reliquos usque in infinitum, adeo ut, si Adam hodie viveret, nullam posset uxorem ducere ex universo mundo, cum omnes feminæ per lineam rectam ab ipso descendant, et ita Evæ nullum posset ducere maritum,

cum omnes homines per lineam rectam ab ipsa descendant. Ita Scotus in 4, dist. 40, § *De secundo*; Fagnanus in cap. *Vir qui* 9, De consanguinitate et affinitate, n. 25; Rosignolus, contract. 15, *De matrim.* 11, prænot. 10, sect. 2, num. 3, citans *Glossam*, et alios plures, Sporer, tom. II, part. iv, cap. 1, sect. 1, num. 68; Herinx, dis. 6 *De matrimonio*, qu. 8, num. 50; Henno, loc. cit., conclus. 2; Reiffenstuel, l. c., num. 27; Pirhing, lib. iv *Decret.*, tit. 14, n. 9; Coninch, disp. 32, *De sacrament.*, n. 16; Layman, lib. v, tract. 10, part. iv, n. 2; Busemb., lib. vi, part. iii, dub. 2, n. 4; S. Antonin., Paludan, Durand., Abbas, Bellarm. Vasquez, Hurtadus, Merattius, Mastrius et alii: arg. l. ult. ff. *De ritu nuptiar.*, ubi deciditur, jure gentium (per quod intelligitur a jurisconsultis jus naturæ) incestuosas esse nuptias in gradu ascendentium vel descendentium, ibi: « Jure gentium incestum committit, qui in gradu ascendentium, vel descendentium uxorem duxerit, » et l. *Nuptiæ* 53, ff. eodem ibi: « Nuptiæ consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum, liberorumve sunt sive proximi, sive ulterioris gradus, usque in infinitum. » Et ratio est quia in omnibus lineæ rectæ ascendentibus, et descendentibus, quantumvis remotis, reperitur ratio principii, et principii, et ascendentes veniunt omnes nomine parentum, et descendentes omnes nomine liberorum; arg. c. l. *Nuptiæ* 53, De ritu nuptiar. Inter parentes autem, et liberos matrimonium est irritum jure naturæ, adeoque, etc. Tum quia, ut observant Reiffenstuel, l. c., n. 27; Henno, l. c., conclus. 2, et alii, nullibi legitur Summos Pontifices in tali gradu dispensasse, quæcumque occurreret ratio, aut necessitas.

(64. Contraria tamen sententia docens, dictum impedimentum in linea recta dirimere matrimonia de jure naturæ solum quo ad primum gradum, et non quo ad alios, est vere probabilis, eamque docent S. Thomas in 4, dist. 40, qu. 1; art. 3 et ibi S. Bonaventura, et Richardus, quæst. 3; Roffensis, in *Tract. de matrimonio regis Angliæ*, fol. 3, Alexander de Ales, in secunda par., qu. 169; Augustin. Triumph., in *Summa de potestate eccles.*, quæst. 33, art. 5 et 6; Fagnan., in c. *Vir qui* 9, De consanguinitate et affinitate, n. 35; Sanchez, l. vii, disput. 51, num. 19; Cajetan. Victoria, Ledesma, Pontius, Covarruv. Sotus, Valentia, Fagundez, Perez, Bonacina, Aversa, Felix Potestas tom. I, p. iv, n. 4042; Pignatelli., tom. VII; cons. 22, num. 45, et alii apud La Croix, l. vi, p. iii, n. 608, ubi, ultra rationem adductam pro hac sententia, solvit etiam rationem opinionis contrariæ.

(65. Impedimentum cognationis naturalis, seu consanguinitatis in linea transversali dirimit matrimonium jure naturæ, ac divino, quo ad primum gradum, nempe inter fratres, et sorores, excepto casu absolutæ necessitatis propagandi genus humanum, ut fuit ab initio mundi inter filios et filias Adæ et Evæ. Scotus in 4, dist. 40, qu. unic., ubi solvit rationes oppositæ sententiæ, Guttie-

rez, *De matrim.*, c. 98, n. 20; Rosignolus loc. cit., sect. 3, num. 2 et 5; Sanchez, l. vii, disp. 52, n. 11; Reiffenstuel, loc. cit., n. 28; Layman lib. v, tract. 10, p. 4; Sporer, loc. cit., n. 70; Sotus, Vasquez, Bellarm. Valentia, Ledesma, Bonacina, Henriquez, Perez, et alii plures contra D. Thomam 2-2, qu. 154, art. 9; Cajetanum, Pontium, et alios citatos a Sanchez, l. vii, disp. 52, n. 10, et a Felice Potest., tom. I, p. iv, n. 4042. Colligitur autem nostra sententia ex c. *Gaudemus* 8, De divortii, ubi Pontifex decernit quod infideles conversi ad fidem separari non debeant, si in secundo, et ulteriori gradu consanguinitatis existentes antea matrimonio juncti fuere, quia legibus Ecclesiæ infideles non arcentur: ergo a sensu contrario, si in primo gradu uniti essent, deberent separari, eo quod talis gradus jure naturæ dirimat, aliter pontifex incongrue expressisset secundum, et tertium gradum, si etiam primus de jure naturæ non esset interdictus. Sic concilium Tridentinum, sess. xxiv, *De reformat. matrim.*, cap. 5, decrevit, in secundo consanguinitatis gradu nunquam esse dispensandum, et solum in tali gradu posse dispensari inter magnos principes, et ob publicam causam, ibi: « In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, et ob publicam causam: » ergo a sensu contrario in primo gradu non; adeoque videtur primus gradus esse de jure naturæ, aliter incongrue concilium expressisset secundum gradum, si primus non esset de jure naturæ et divino.

(66. Et ratio conclusionis est quia, ipsa natura suadente, inter fratrem, et sororem est naturalis quidam pudor, et reverentia, cui valde adversatur actus conjugal, utpote qui turpitudinem quamdam præ se fert; hinc, et ipsæmet nationes infideles solo lumine naturali ductæ abhorruerunt ab hujusmodi conjugio, ut colligitur ex Aristotele 2, *Politicorum*, cap. 2, qui turpissimum censet conjunctionem fratrum cum sororibus. Hinc, ut observant Reiffenstuel, loc. cit., num. 29; Rosignol. loc. cit., n. 5; Henno, loc. cit., conclus. 3, et alii plures, Summi Pontifices nunquam in tali gradu dispensarunt ob quamcumque necessitatem occurrentem, quamvis Silvester verb. *Papa*, qu. 17, referat ex archidiacono Martinum V semel dispensasse in tali gradu, ut evitaret gravia scandala alias eventura.

(67. Impedimentum cognationis naturalis, seu consanguinitatis in linea transversali, non dirimit matrimonium quoad secundum, et superiores gradus jure naturali, et divino, sed solum jure ecclesiastico. *Communis*, arg. c. *Gaudemus* 8, De divortii, ubi matrimonium infidelium inter consanguineos in secundo gradu agnoscitur validum, adeoque non est contra jus naturæ; et concil. Trid. sess. xxiv, *De reform.*, cap. 5, ubi expresse decernitur, posse in secundo gradu dispensari, adeoque secundus gradus, et a fortiori superiores non dirimunt jure naturæ; aliter Papa in ipsis non posset dispensare.

Et quod dirimat jure ecclesiastico, habetur expresse in cap. *Non debet* 8, De consanguinitate et affinitate, ubi statuitur, dirimere hodie solum usque ad quartum gradum, et restringitur jus antiquum, quo tale impedimentum dirimebat usque ad septimum gradum inclusive, ut patet ex c. *Nullum* 7, et cap. *De consanguinitate* 17, caus. 35, quæst. 3; cap. *Ad Sedem* 2, caus. 35, quæst. 5, et similibus.

(68. Cognatio spiritualis est propinquitas inter aliquas personas proveniens ex dispensatione sacramentali solius baptismatis, et confirmationis. Scotus in 4, dist. 42, qu. 1, n. 2, et est in re communis, argum. tot. titul. *De cognitione spirituali*, et caus. 30, qu. 1 et 3, et concil. Tridentin., sess. xxiv *De reformat. matrimon.*, cap. 2. (69. Dicitur notanter solius baptismatis, et confirmationis, quia per dispensationem baptismi, et confirmationis fit spiritualis quædam generatio; baptismus enim dat primam vitam spiritualem, quæ dein per confirmationem perficitur, et roboratur, ut cum S. Thoma advertit S. Bonaventura in 4, dist. 42, art. 1, quæst. 3, et notatur in cap. *Ita diligere* 1, et cap. *Placitum* 2, caus. 3, quæst. 1. Unde merito per solam dispensationem baptismi, et confirmationis, et non per dispensationem aliorum sacramentorum contrahitur cognatio spiritualis, ut expresse habetur in c. *Quamvis* 3, De cognitione spirituali, in 6, ibi: « Ex datione vero aliorum sacramentorum cognatio spiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediatur, vel dissolvatur. »

(70. Impedimentum cognitionis spiritualis introductum est solum jure ecclesiastico. *Communis*, argum. tot. titul. *De cognitione spirituali*, et caus. 30, quæst. 1 et 3. Et juste, convenienterque Ecclesia hoc statuit impedimentum, quia sicut ex generatione naturali oritur *cognatio naturalis* matrimonium dirimens, ita voluit Ecclesia, ut etiam ex generatione spirituali *cognatio spiritualis* oriretur pariter matrimonium dirimens; idque ex decencia, ac reverentia, quam spiritualiter nati debent suis spiritualibus genitoribus, sicuti carnaliter, et naturaliter nati debent suis carnalibus, et naturalibus genitoribus, arg. c. *Ita diligere* 1, et c. *Placitum* 2, caus. 3, qu. 3.

(71. Cognatio spiritualis antiquo jure erat triplex; scilicet *paternitas*, *compaternitas*, et *confraternitas*. Paternitas spiritualis est propinquitas, seu cognatio spiritualis inter baptizantem, seu confirmantem, eorumque uxores, et baptizatum, vel confirmatum; item inter baptizati, aut confirmati patrimum, ejusque uxorem, et ipsum baptizatum, seu confirmatum; argum. cap. *Pervenit* 1, cap. *Si quis* 2, et cap. *De eo* 5, caus. 30, quæst. 1, cap. *Ita diligere* 1, caus. 30, quæst. 3, cap. *Nedum inter* 1, De cognitione spirituali, in 6, cum similibus. (72. *Compaternitas spiritualis* est cognatio inter baptizati, et confirmati naturales parentes ex una, et inter baptizantem, et confirmantem, atque patrinos, eorumque uxores ex altera parte; cap. *Si quis* 3, caus. 30, qu. 4, et cap. *Nedum*

inter 1, De cognitione spirituali, in 6, cum similibus. (73. *Confraternitas spiritualis* est cognatio inter baptizatum, seu confirmatum ex una, et filios naturales baptizantis, seu confirmantis, atque patrinoorum ex altera; cap. *Placitum* 2, et cap. *Non oportet* 3, caus. 30, qu. 3, c. *Utrum* 1, cap. *Super eo* 3, et c. *Tua nos* 7, De cognitione spirituali, cum similibus.

(74. Jure autem novo in concilio Tridentino, sess. xxiv, *De reformat. matrimon.*, cap. 2, ad tollenda multa inconvenientia, et scandala, et præcavenda multa peccata, fuit omnino sublata dicta *confraternitas spiritualis*, et certo modo restricta *paternitas*, et *compaternitas*; ita ut hodie non amplius cognatio spiritualis oriatur inter virum, et uxorem simul levantes infantem ex baptismo, ut olim ex cap. *Quod autem* 5, caus. 30, quæst. 4. Neque inter baptizatum, vel ipsius patrem ex una, et baptizantis, vel levantis uxorem ex alia parte, ut olim ex c. *Martinus* 4, De cognitione spirituali. Neque inter baptizatum, et confirmatum ex una, et filiam baptizantis, confirmantis, levantis, seu tenentis ex altera, ut olim ex cap. *Ex litteris* 8, De cognitione spirituali. Neque inter filium compatris, et filiam commatris, et contra, ut olim ex cap. *Tua nos* 7, De cognitione spirituali. Neque inter filiam spiritualem baptizantem, et filium carnalem baptizantis, ut olim ex cap. *Placitum* 2, caus. 30, quæst. 3. Neque inter filiam spiritualem levatam de sacro fonte, et inter filium carnalem levantis, seu tenentis, ut olim ex cap. *Non oportet* 3, caus. 30, quæst. 3. Neque inter virum, et commatrem suæ uxoris defunctæ, et contra, ut olim ex cap. *Sciscitatur* 1, caus. 30, qu. 4. Neque inter baptizantem, et levantem, levantisque uxorem, et filiam, et hujusmodi.

(75. Unde hodie cognatio spiritualis solum contrahitur: I. A baptizato, vel confirmato cum baptizante, vel confirmante. II. A baptizato, vel confirmato cum patrino, vel matrino, et hæc duæ cognationes dicuntur *paternitas*, et *filialis spiritualis*, arg. cap. *Pervenit* 4, c. *Si quis* 2, et cap. *De eo* 5, caus. 30, quæst. 1, cap. *Ita diligere* 1, caus. 3, quæst. 3; cap. *Nedum* 1, De cognitione spirituali, in 6. III. Contrahitur a patrino, vel a matrino cum patre, et matre baptizati, vel confirmati. IV. A patre, et matre baptizati, vel confirmati cum ipso baptizante, vel confirmante, et hæc duæ posteriores dicuntur *compaternitas* et *commaternitas*, argum. cap. *Si quis* 3, caus. 30, quæst. 4, et cap. *Nedum* 1, De cognitione spirituali, in 6. Inter istos igitur solum contrahitur hodie cognatio spiritualis dirimens matrimonium, et non ultra inter alios, ut expresse decrevit concil. Tridentin., sess. xxiv, *De reformat. matrimon.*, cap. 2, ibi: « Docet experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus, vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta synodus huic incommodo providere,

et a cognitionis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum vir, sive mulier, juxta sacrorum canonum statuta, vel ad summum unus, et una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos, et baptizatum ipsum, et istius patrem, et matrem, nec non inter baptizantem, et baptizatum, baptizatique patrem, et matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognitionem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus.... Ea quoque cognatio quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, et confirmatum, illiusque patrem, et matrem, ac tenentem non egre diatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognitionis impedimentis omnino sublatis. »

(76. Cognatio spiritualis non oritur ex baptismo nulliter collato, sicuti neque ex confirmatione nulliter collata. *Communis*. Et ratio est, quia cum ex talibus sacramentis nulliter collatis nulla fiat generatio, et corroboratio vitæ spiritualis, nulla quoque consurgit *paternitas*, vel *compaternitas*, aut *filialis spiritualis*, quia quod nullum est, nullum producit effectum c. *Illud* 8, De jure patronat. Et juxta regulam 52 *Juris*, in 6. « Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. » (77. Cognatio spiritualis contrahitur ab accipiente puerum ab obstetrice, neque est necesse, ut illum accipiat immediate a manu baptizantis. Sac. cong. Conc. in dub. cognitionis spiritual., 18 Decembr. 1668, lib. xxxviii *Decret.*, fol. 618. (78. Cognatio spiritualis contrahitur etiam in baptismo sine solemnitatibus ob necessitatem domi secuto; sac. congr. Conc. in dub. cognat. spirit. 5 Martii 1678, lib. xxx *Decret.*, fol. 33. (79. Cognitionis spiritualis in primo gradu dispensatio concedi non solet. Sanchez, *De matrimon.*, lib. viii, disp. 24, n. 7. Illam tamen concessam fuisse a Gregorio XIV testatur Pontius *De matrimon.*, lib. viii, cap. 17, n. 28, et de Justis *De dispensat. matrimon.*, lib. ii, c. 5, n. 74, asserentes infelicem habuisse exitum. Sic apud Ursayam in *Miscellaneo sacro et profano primo*, verb. *Cognatio*, n. 189.

(80. Alia concernentia hanc cognitionem spiritualem, vide verb. BAPTISMUS, art. 7, per totum; verb. COGNATIO SPIRITUALIS; verb. CONFIRMATIO, art. 3.

(81. *Cognatio legalis* sic est dicta, quia a legibus inventa; leg. *Adoptivus* 14, ff. *De ritu nuptiar.*, et § 1 ac 2 *Instit. de nupt.*, ac postea per sacros canones recepta est; cap. unic. *Si qua de cognitione legali*; etc. *Ita diligere* 1, et cap. *Per adoptionem* 6, caus. 30, quæst. 3. (82. Cognatio legalis est propinquitas personarum, quæ ex adoptione provenit, et inter certas personas matrimonium dirimit. *Est in re communis*; arg. cit. leg. *Adoptivus*; et cit. § 1 et 2 *Instit. de nupt.*, et cit. cap. *Si quis*, etc. *Ita diligere* 1, et cap. *Per adoptivum* 6, caus. 30, quæst. 3.

(83. Cognatio legalis est triplex, scilicet

paternitas, *fraternitas*, et *affinitas legalis*. *Paternitas legalis* est cognatio inducens impedimentum in linea recta inter adoptantem tanquam patrem legalem, et adoptatum tanquam filium, et adoptati descendentes usque ad quartum gradum. Est in re communis; arg. § 1, *Instit. de nupt.*, et leg. *Quin etiam* 55, ff. *De ritu nupt.* (84. Hæc cognatio semper durat, et dirimit, etiamsi adoptio per emancipationem fuerit soluta, c. *Ita diligere* 1, caus. 30, qu. 3, § 1 *Instit. de nuptiis*, l. *Quin etiam* 55, *De ritu nuptiar.* Et ratio est, quia, cum hæc cognatio legalis pariat quamdam conjunctionem similem naturali, et inde oriatur reverentia inter cognatos sic constitutos, talis reverentia debita inter ipsos cognatos adhuc perseverat, nec dissolvitur per dissolutionem adoptionis.

(85. *Fraternitas legalis* est cognatio in linea transversali impedimentum inducens inter liberos naturales legitimos adoptantis, et adoptatum tanquam fratres, et sorores legales. Est in re communis, arg. cap. *Si quis*, l. *De cognat. legal.*, et l. *Qui in adoptionem*, ff. *De adoptione*. (86. Hæc cognatio non durat semper, sed expirat, expirante adoptione; l. *Per adoptionem* 17, ff. *De ritu nuptiar.* ibi: « Per adoptionem quæ sita fraternitas eousque impedit nuptias, donec manet adoptio; ideoque eam, quam pater meus adoptavit, et emancipavit, potero uxorem habere, æque ac si, me emancipato, illam in potestate retinuerit, poterimus jungi matrimonio »; et concordat cit. c. *Si qua de cognitione legali*, ibi: « Si qua mihi soror per adoptionem esse cõperit, quandiu durat adoptio, inter me, et iosam nuptiæ consistere non possunt ».

(87. *Affinitas legalis* est cognatio inter adoptantem, et inter uxorem adoptati, et vicissim inter adoptatum, et uxorem adoptantis. Est in re communis; arg. l. *Adoptivus* 14, ff. *De ritu nuptiar.* Hæc cognatio semper durat, et dirimit, etiam soluta adoptione. *Communis*, textu expresso in cit. l. *Adoptivus*, ibi: « Adoptivus filius, si emancipetur, eam, quæ patris adoptivi uxor est, ducere non potest, quia novercæ locum habet. » (88. Ratio autem differentiæ, cur cognatio legalis in linea recta descendenti, et affinitatis duret semper, et dirimat matrimonium, etiam soluta per emancipationem adoptione, non autem cognatio transversalis, seu fraternitas legalis, est, quia cognatio in linea recta descendenti, et affinitatis trahit secum majorem reverentiam inter cognatos debitam, quæ semper perseverat; cognatio autem in linea transversali non trahit secum tantam reverentiam; unde soluta per emancipationem adoptione, cessat ipsa cognatio, et prohibitio de contrahendo matrimonio in tali linea. Sanchez, lib. vii *De matrimonio*, disp. 63, n. 24, in fine; Rossignol., controv. 15, *De matrimonio*, 11, prænot. 10, sect. 5, n. 15, et alii passim.

(89. Cognatio legalis dirimens matrimonium non oritur inter ipsos filios adoptivos,